www.e-rara.ch

# Terentianae Comoediae Sex

## Terentius Afer, Publius

## Argentorati, An. D. M. XXI. Postri Die Calendas Septembris

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRc 111

Persistent Link: http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-59773

Vita Ter. per Pet Cri.

**www.e-rara.ch**
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d’imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L’éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l’imprimerie jusqu’au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

TERENTIVS poeta Comicus. Carthaginensis parria fuit. Romam perductus traditur cum in tenera ætate foret quibus potissimum bellis id accidit, parum compertum est, ut refert Aelius Donatus, ex Fenestellæ commentarijs. Illud pro certo constat, eum Romæ diligentia Terentij Lucani patroni, accurate institutum, atque liberalibus disciplinis eruditum. Cumque facilitate ingenij, & elegantia in primis excelleret, breui cotisequutus est, ut a Terentio patrono esset manumissus. Per ea tempora in scena floruit, quibus præclari atque egregij ciues Romæ habiti sunt. M. marcellus, p. Scipio. Q. Fabius Maximus. Neque desunt autores, qui scribant eundem Terentium, maxima familiaritate uixisse eum. F. Scipione, & C. Lælio, sæpeque solitum apud nobiliores ciuitatis cœnitare, qua in re dum placere illis omni opera nititur, eorumque commodis inseruire, ad summam inopiam traditur redactus. Statium præterea Cæcilium, qui scribendis comœdijs excelluit magna diligentia obseruauit, eique suas fabulas more ueterum recitare consueuit. Comœdias sex composuit, easq; ab Appollodoro & Menãdro poetis Græcis, in sermonem latinum conuertit, tanta sermonis elegantia & proprietate, ut eruditorum iudicio, nihil perfectius, aut absolutius in eo scribendi genere habitũ sit apud latinos. Sequutus est in his. Q. Ennium. M. Plautum & Neuium, ut ipse testatur cum suis calumniatoribus respõdet. Phormionem, & Hecyram ab Appollodoro transtulit, reliquas quatuor a Menandro. Aelius Donatus, qui complura diligentissime de hoc poeta scribit, cum alia multa in eo cõmendat, tum præcipuum dicit quod in scribendis fabulis, & arte usus est. & ut amorem antiquum retinuerit, & ita temperauit affectus, ut neque ad tragicam magnitudinem intumescat, neque abijciatur ad historiã quod minime factum est inquit a Plauto, Afranio, & cæteris comediarũ scriptoribus. M. Cic. in epistola ad. T. Atticũ refert. P. Terẽtiũ esse optimum autorem latinitatis, eiusq; fabulas multos existimasse, pro

Historia est res gesta sed ab etatis nostre memoria remota.
Argumentum est ficta res que tamen fieri potuit.
fabula est que neque veras neque verisimiles continet res et apologus dicitur.

pter elegantiam sermonis a. C Lælio scriptas, quam opinionem idem Terentius maxime uidet̃ confirmasse, quo magis calumniatores suos in odium traheret. sic enim refert in Adelphis fabula, sub persona prologi.

Quod illi maledictum uehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet.
Qui uobis uniuersis, & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisq; tempore usus est sine superbia.

Horatius Flaccus, ueterum poetarum optimus censor, in Cæcilio grauitatem, in Terentio artem constituit. qua inter cæteros comicos mirifice excelluit. Quod Quintilianus uidetur sentire, in libris ad Marcellum Victorium. Sed idem tamen inquit maiorem gratiam habuisset, si intra Trimetros cõstitisset Ausonius quoq; Vergilium Homero, Terentiũ Menandro adiungit, eiq; elegantiam latini sermonis præcipue tribuit.

Tu quoq; qui latium lecto sermone Terenti.
Comis. & astricto percurris pulpita socco.

Traditum est, illum post æditas aliquot Romæ fabulas, in Græciam adnauigasse, quo facilius disciplinas Græcorum, atq; instituta perciperet, plurimasq; fabulas a poeta menandro in Latinum conuertisse, quæ facto naufragio perierunt. De obitu illius uaria scribunt autores. In Arcadia obijsse, cum alij plures testãtur, tum poeta Ausonius, ob nimium dolorem amissarũ fabularum, quas ipse naui præmiserat. De forma illius, atq; effigie referuntur complura ab Aelio Donato, qui eiusdem Comœdias magna eruditione interpretatus est. Argumenta illa, quæ Terentianis fabulis præponũtur, a Sulpitio Apollinari illustri grãmatico composita sunt. Quod cum alijs multis argumentis, tum maxime antiquitate codicum probari potest, in quibus nomen Sulpitij legitur.

PVB. TERENTII VITAE EX LIBRO PRIMO PETRI CRINITI, FINIS.